



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

4. Rationi congruit &c. Historica relatio vitæ, mortis, miraculorum,
Beatificationis & Canonizationis B. Cajectani à Clemente X. In Sanctorum
numerus relati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

Ego Franciscus Tit. S. Matthæi in Merulana Presb. Card. Nerlius.
Ego Hieronymus Tit. S. Silvestri in Capite Presb. Card. Cafanate.
Ego Galeatius Tit. SS. Quirici & Julittæ Presb. Card. Marefcottus.
Ego Fabritius Tit. S. Chryfogoni Presb. Card. Spada.
Ego P. Thomas Houardus Tit. S. Mariæ super Minervâ Presb. Card. de Norfolcia.
Ego Savus Tit. S. Petri in Vinc. Presb. Card. Mill.
Ego Fr. Laurentius Basilicæ XII. Apostolorum Card. de Laurea.
Ego Jacobus Tit. S. Mariæ de Araceli Presb. Card. de Angelis.
Ego Joannes Tit. S. Petri in Monte aureo Presbyter Cardinalis de Gœssen.
Ego P. M. Tit. S. Marcelli Presb. Card. Petruccius.
Ego Joseph Saens Tit. S. Balb. P. Card. de Aguirre.
Ego Leander Tit. SS. Nerei & Achillei Presb. Card. Colloredus M. Pœnitentiarius.
Ego F. Tit. SS. Joan. & Pauli Presb. Card. Carafa.
Ego Bandin. Tit. S. Th. in Parione P. C. Panciaticus.
Ego F. Tit. S. Clementis Presb. Card. de Abdua.
Ego Tullanus Tit. S. Agnetis extrâ mœnia P. Card. de Janfon de Fourbin.
Ego Jo. Bapt. Tit. S. Laurentii in pane, & perna P. Card. Rubinus.
Ego Jo. Bapt. Tit. S. Bern. Presb. Card. Costagutus.
Ego Fulvius SS. Co. & Dam. Diac. Card. Altallius.
Ego Petrus S. Laurentii in Damaso Card. Diaconus Ottobonus S. R. E. Vicecancellarius.
Ego Carolus S. Mariæ in Cosm. Diac. Card. Bichius.
Ego Aloysius S. Mar. in Port. D. Card. Homodeus.
Ego Jo. Franciscus S. Adriani Diac. Card. Albanus.
Ego Francisc. S. Angeli in foro Pisc. D. C. Barberinus.
Ego Laurent. S. Mar. in Aquiro D. Card. de Alteriis.

B. Card. Prodatarius.

F. Card. Albanus

Visa de Curia J. Sacripantes

Loco † plumbi D. Ciampinus
Registrata in Sec. Brevium.

IV.

Historica relatio vitæ, mortis, miraculorum, Beatificationis & Canonizationis B. Cajetani à Clemente X. in Sanctorum numerum relati.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Rationi congruit, & convenit æquitati, ut ea quæ Romani Pontificis providâ deliberatione, ac Venerabilium Fratrum Suorum S. R. E. Cardinalium nec non Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum tunc in Romanâ Curia commorantium unanimi Consilio decreta, definita & statuta fuerunt, licet ipsius superveniente obitu Litteræ Apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum debitum consequantur effectum.

B. Cajetanus à Clemente X. Canonizatus.

§. 1. Dudum siquidem felicitis recordationis Clementis Papa X. Prædecessor Noster piè secum animo revolveus, inter alia Divinæ largitatis Beneficia illud esse perenne, quod ad eradicanda falsorum dogmatum zizania, quæ in Ecclesiæ florentis agro inimicus homo jugiter superfeminare non cessat. Cœlestis Patrefamilias statim temporibus dignos operarios miserit, qui imminenti malo occurrerent, & succrescentem perniciosam segetem amoveant, ac inter cæteros anteaſto seculo, quo impius hæresiarum, & religiosæ militiæ defector Lutherus, alique sacrilegi Sectarii, Sanctæ Sedis, & Romani Pontificis dignitatem exauctorare, Ordines Regulares eliminare, relaxatam Cleri disciplinam criminari, usumque,

& venerationem Sacramentorum obliterare temerario conatu satagebant, fuisse, Divinâ Providentiâ excitatum spiritum fidelis servi sui Cajetani Thienæi, qui ad eorumdem novatorum confusionem aliud suave, & à tot tantique affectis receptum Religionis jugum Apostolicâ Auctoritate in ipso Vaticano Templo confirmatum instituit, quo Clerici Regulares sub ejusdem Romani Pontificis, & præfatæ Sedis Sanctæ immediatâ subjectione, & speciali protectione suscepti tribus substantialibus Votis emissis Apostolicam vivendi formam omni rerum temporalium, & vel ipsâ emendicandi curâ posthabita imitarentur, collapsam Cleri, & morum disciplinam instaurarent, ac venerationem, & frequentiam Sacramentorum insigni pietatis, & devotionis fœnore unâ cum eleganti Ecclesiarum nitore restituerent; Ex processibus itidem jam absolutis idem Prædecessor plenariam certitudinem assequutus, Beatum Virum hujus voti cum suis alumnis compotem effectum, illibatæ vitæ tenorem ad extremum usque spiritum perduxisse, atque ex heroicis virtutibus, quibus cumlatus, & insignibus miraculis, quibus in vitâ, & post mortem clarificatus fuerat, gloriose cum eo in Cœlis regnare, cujus honorem in terris zelatus fuerat, solemni ritu eundem inter Sanctos Confessores adscriptis, illiusque vitam, virtutes, & miracula, nec non actorum seriem ad majorem Dei gloriam, & Christi fidelium ædificationem summam recensere decreverat. Quod cum nec ipse, nec similis recordationis Innocentius Papa XI. & Alexander Papa VIII. ejus Successores, Nostri autem Prædecessores, morte præventi, hætenus peregrissent, ne tam pia, & exemplaris memoria unquam obliuisceretur, sed Apostolico roborata testimonio sincerè, & veridicè conservetur in ævum, sequentem narrationem præsentibus Litteris duximus committendam.

§. 2. Natus est Beatus Cajetanus Vicentiæ clarâ Venetæ ditionis Civitate circa annum reparatæ Salutis millesimum quadringentesimum octuagesimum, parentibus Comite Gaspere Thienæo, & Mariâ Porto amobus genere præclaris; Quem mox ut enixa est mater, Deiparæ Virgini obtulit, commendavitque, cujus vota benigne suscipere ipsa Deipara visa est, cum semper in posterum specialibus favoribus munerans, ipseque vicissim, ut matrem illam tenerimo quodam affectu sæpè compellans, ad ejus patrocinium in arduis omnibus confugiebat; Pietati à primis annis additus, oratione, elemosynis, aliisque piis operibus animum instruebat, cunctorum oculos in serapiens, mirum in modum, adeo ut ex tunc Sanctus ab omnibus nuncuparetur.

§. 3. Aliis studiis emensis, Pontifici, & Cæsarei Juris prudentiæ operam dedit, fuitque utriusque Laureâ Patavii insignitus. Quique adhuc puer in extruendis aris, sacrisque imaginibus exornandis totus fuerat, postmodum adolescens, ut oppidanorum commodo, ac pietati seriò prospiceret, Beatæ Mariæ Magdalene ædem, unâ cum germano fratre in proprio Thienæorum pago quem Rampazum dicunt à fundamentis extruxit, censuque ad sacra facienda dotavit. Adeo animarum sitiebat salutem, ut eam ob rem etiam corporum malè habentium servitio se in Nosocomiis manciparet, ac per istiusmodi charitatis officia ægros ad patientiam, Dei amorem, peccatorum suorum expiationem, ac supernæ Patriæ desiderium excitabat, nil intactum relinquens, quo Deo animas lucrificeret, dictus propterea Venator animarum. Hinc novum Vicentiæ Nosocomium erexit, hinc Venetiæ Confessarii monitu, è cujus ore, nutuque pendebat, ire contendit, ad magni, ut vocant Incurabiliū Valetudinarii curam suscipiendam. Hinc Romæ, ac Neapoli, quo successu temporis contigit perrexisse, eadem animoolvebat, ac eâ sollicitudine tenebatur, & nimirum corporum simul, & animarum salutem consultum iret, infirmorum calamitatum utrinque. Quo factum est, ut grassante Venetiis pestilentia, eâ contagione laborantibus propriis ipse manibus inservire, ac vi-

Ejus historia præsentibus exhibetur.

Natus & B. Virgini oblat.

Studia, pietatis & charitatis exercitia.

Munus publicum
Romae
ejusdem
abdicatione
& in patriam
reditus

lissima quæque munia prompto animo aggredi non formidaret.

§. 4. Romam inde profectus, & recolendæ memoriæ Julio Papæ Secundo etiam Prædecessori Nostro in primis charus, inter Protonotarios, ut vocant participantes adscitus est, verum postea secularium rerum pertæsus, abdicatisque omnibus ad fodalitium Divini amoris, quod eo tempore solidæ pietatis famâ celebre in Urbe erat, aufugiens in eo adscribi suppliciter petiit. Voti compos factus, mirum est quantum in virtutum omnium æmulatione cæteros antecelleret, quantumve Divinæ illius flammæ ardore flagraret; inde Sacris initatus, & in Patriam post aliquot dies reverfus, conceptum cælitus ignem in eam visus est intulisse, nil magis cupiens, quam ut eodem Civium corda funderet. Etenim relicta paternâ Domo, ad ægrotantium publicum Hospitale divertit, atque inter infimæ plebis homines in Oratorio Divi Hieronymi, quod postea à Divino amore voluit dictum, mutato nomine à Romano illo, cui ipse primum nomen dederat, cuique hoc aggregandum curavit, alterius spiritum in alterum transfundere satagebat, id semper habens in votis, ut lapsos fidelium mores, quâ verbo, quâ exemplo corrigeret, atque animos ad Dei amorem inflammaret. Præ cæteris id exequutus est, ut Sacramentorum frequentem usum in sodales primum, dehinc in alios ferventiore spiritu introduceret, magno cum eorum compendio, qui elutis animæ fordibus ad Cœlestem epulum accedebant, quod propriis ipse manibus sæpè illis ministrans, identidem ad ejusdem amorem, ac sitim ignitis planè eloquiis lacrymarum vi, ac suspiriis intendebat.

§. 5. Verum Romam reverfus, inito cum similis memoriæ Paulo Papæ IV. etiam Prædecessore Nostro tunc in minoribus constituto, Joanne Petro Caraffa nuncupato, & Episcopo Theatino, consilio, de restituendo ad pristinam formam Clero cogitare cœpit; Quare illo adjutore, accitisque duobus aliis eximii pietatis viris ex præfatâ Divini amoris de Urbe Sodalitate, Bonifacio nempe à Colle Nobili Alexandrino, & Paulo Consiliario Romano, Clericorum Regularium Ordinem ad Ecclesiæ primitivæ normam instituit, seu potius instauravit, qui videlicet ad eorum morem, quibus cor unum, & anima una fuisse legitur, abdicatione rerum omnium temporalium curâ, ipsaque emendandi sollicitudine, ex solis elemosynis spontè oblati viverent, Deique Omnipot. misericordiam expectarent, atque ita pristinam illam Apostolicam vivendi formam ex integro reddidit, magno cum Ecclesiastici nominis fœnore, hæreticorumque illud temerè deprimentium rubore hic Dei Servus in Orbem postliminio revocavit, firmavitque Apostolicâ auctoritate tribus substantialibus votis, Legibus, & institutis, statui decorique Clericorum oppido consentaneis, ejusdem memoriæ Clemente Papæ VII. pariter Prædecessore Nostro approbante, ipsoque Dei servo unâ cum Sociis in Vaticano Templo hanc Regulam publice profitente. Quam quidem vivendi formam visa est non semel Divina providentia rebus in arcto positis, miraculis comprobasse, cavitque sedulò Cajetanus, ne quid unquam ea detrimenti caperet, præsertim cum oblatos ultrò Neapoli fundos, ac Censui constantissimè recusavit, ea obiectans Domini verba: Respice volatilia cœli, non ferunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester Cœlestis pascit illa.

§. 6. Ut autem præclara Servi Dei virtus non in prosperis solum exerceretur, sed in adversis etiam probaretur, tunc præ cæteris eximia ejus æquanimis enituit, cum in immani illâ Urbis direptione à militibus deprehensus, creditusque, ut olim, divitiis abundare, ut eas proderet, sævissimè tortus, eam tormentorum vim mirâ animi tranquillitate, ac mansuetudine perpessus est, eoque tandem in teterum carcerem cum sociis detruso, accidit, ut quâdam die canentem cum ipsis laudes alternatim lætiori voce, ac si in oculo esset, audiret Hispanorum quidam Tribunus, qui profecto tantam demiratus ala-

critatem, tantamque in perferendis malis constantiam, illicò, ut relaxarentur, atque in sui gratiam liberi dimitterentur, à commilitonibus suis enixe petiit, obtinuitque. Vinculis exsoluti ad Tyberis Ripam tendunt, incerti animi, quo potissimum transmitterent, cumque commeatum, & pecuniam non haberent, adfuit Divina Providentia, vel ipsos Aggressores internè movens ad stipem ultrò itineris que viaticum erogandum; Inde venientes ad Ostia Tyberina, Venetum Oratorem auspiciò offenderunt in Patriam solventem, à quo benignè excepti, & liberaliter habiti Venetias tandem obtinuerunt.

§. 7. Ibi per annos aliquot Dei famulus commemoratus, admirandæ paupertatis, & cœlestis planè vitæ famam diffudit, Cumque interim exemplares hos Clericos habendi desiderio flagrans Neapolitana Civitas, interpositâ ejusdem Clementis VII. Prædecessoris auctoritate id egisset, ut illuc migrare, ac domicilium figere per obedientiam ardeantur, perfectioni, & muneri Cajetanus eligitur, ac novæ illius Domus Præpositus postea pronunciat.

§. 8. Porro ut tanti viri virtutes egregiæ innoscerent, præstat eas ultrâ superius delibatas summam percurrere, quo per viam salutis incenditibus esse valeant exemplo; Eâ in primis Divinæ Charitatis flammâ, quam jamdudum in præfato Divini amoris fodalitio conceperat, aestuabat, ut intra pectoris sinum contineri cor ejus non sustineret; Hinc juges lacrymæ, suspiria, gemitus, extases, tanti ardoris indicia. Hinc ut omnes eadem flammâ succenderet, discurrebat huc illuc in similitudinem fulguris coruscantis, atque ut amicis Præfulem ob negotiorum copiam, quibus distinebatur, Sacrum quotidie facere omittentem moneret, Romam advolat, vel aestuante Caniculâ, pioque officio functus Neapolim illicò rediit.

§. 9. Catholica Fidei Zelo, & ad hæreticorum confusionem Ordinem Clericorum Regularium instituit, ac plurima hæresium monstra, eorumque latebras sedulâ Inquisitione non semel detexit ac profligavit, ejusdemque Fidei ardore absumptus creditur interiisse, cum Tridentinam Synodum à cœptis desistere, & ulterius non progredi tunc videret.

§. 10. Orationi ita addictus erat, ut quicquid à domesticis negotiis, atque animarum procurandâ salute temporis, aut otii superesset orationi, & meditationi daret, manè matutinas preces maturius antevertens, ac vespere ad multam noctem orans, ante Aram maximam elevatâ in Deum mente transigaret, Divinam rem facturus, totus in lacrymas effundebatur, seque eo ministerio indignum reputans, Magnæ Matris, cujus erat obsequentissimus, opem implorabat, ut vivificum Agnum eâ quâ decebat devotione susceperet, concipiens dulcissimo quodam mentis obtutu, adesse inibi Deiparam, quæ Lectissimum Filium pronâ ac munificâ manu porrigeret.

§. 11. Inter Sanctos, quos Patronos ob specialem cujusque prærogativam, atque ad imitandum sibi proposuerat, majori colebat affectu, in primis Petrum Apostolorum Principem, seu suæ Congregationis Patrem, & Antesignanum, cui propterea ex sui præscripto nominatim vota solemniter à Clericis Regularibus nuncupantur, Andream item Apostolum, & Lucam Evangelistam ob ardens in eisdem desiderium Crucis, cujus tessera voluit suum Ordinem insigniri, Franciscum etiam Assisinatam ob idem Crucis consortium, atque ob paupertatis amorem præcepto quodam cultu venerabatur.

§. 12. Spe in Deum erectâ sollicitudinem omnem projiciebat in eum, ut propterea unicam hanc in Deo fiduciam Ordini suo pro latifundio dederit, tuncque erat in Regni Cœlestis inquisitione, animarum sollicitudine, verbi Dei prædicatione, Sacramentorum sedulâ administratione, Divini cultus nitore, exactaque sacrorum rituum observantiâ, quarum quidem rerum peculiare studium suis demandavit, & ejusdem Clementis VII. Prædecessoris jussu Breviarii Romani reformationem, unâ cum præfato, tunc in minoribus constituto Joanne Petro

Ad Præposituram
Cleri Regularis in
Civitate Neapolitana
vocatus.

Virtutes
ejus summam
enumerantur.

Charitas.

Catholica
fidei Zelus.

Orationis
assiduitas.

Sanctorum
Patrum æstima-
tio.

Spes & in
Deo fiducia.

Cleri Regularis ad
Ecclesiæ primitivæ
formam
reductio.

In Urbis
direptione
carceri in-
clusus, ac
post libera-
tionem
Venetias
conten-
dens,

Corporis
mortifica-
tio.Modestia,
castitas &
erecta
Neapoli
Cœnobio.Humilitas
& abnega-
tio sui.Consum-
mationem
virtutis
speculum.Causa
mortalis.

Sanctitatis

Carafa sodali suo aggressus est, quæ postea novis curis absoluta in Romano Breviario vulgata est.

§. 13. Corpus afflicto integras quandoque noctes infumebat, ferreâ catenâ, & flagris illud diverberando, cibus illi vulgaris, & parvus, ac sæpissimè folius panis, & aqua, somnus brevis & in stramentitiâ culcitra, cujus decubitus etiam in ultima ægritudine ad extremum usque sustinuit, tametsi Medicus in illa decumbentem nimium laborare advertens, admissus fuisset, ut aliam molliorem admitteret; cui Cajetanus: Mene inquit tam molliter emori, atqui in cinere, & cilicio mori debeo, & volo.

§. 14. Oculos, & linguam ita compefcuit, ut integros dies silentio præteriret, & illos semper humi defixos teneret; nec ullis unquam illecebris potuit animus ejus vinci, aut curiositate molliori; Quod factum est, ut si quando prænobiles Matronæ eum alloqui vellent, propè accedere non auderent, nisi omni femineo cultu seposito, exteriorem corporis habitum ad Christianæ humilitatis, ac modestiæ leges componerent; Quippe Angelicam ejus puritatem, gravitatem, ac modestiam oris reverebantur; itaque singulare in eo fuit, ut adventantes mirè raperet ad virginitatis amorem, ac cælibem in Cœnobii vitam capefcendam. Quique à diuturnis, & inveteratis carnalium cogitationum stimulis vexabantur, ab illis se protinus liberos agnoscebant, ubi primum Dei Servo se commendare ex corde aggressi sunt, aut ejus alloquio vel præsentia frui concessum erat. Quarè tria mulierum Monasteria Neapoli excitavit; Alterum Sacrarum Virginum sub ærtissimâ Cappucinorum Regulâ; Alterum Fœminarum, quæ pudicitia jacturam aliquando passæ ad portum salutis per poenitentiam post naufragium confugiebant, & tertium Monialium S. Mariæ de Sapientia nuncupatum Institutricæ Mariæ Carafæ præfati Pauli Prædecessoris Sorore, à quo illius regimen Servo Dei, ejusque Ordini peculiari jure commissum fuit.

§. 15. Humilitate, demissione animi, ac vilissimâ sui æstimatione insignis Frater & Agnatus qui magno cum comitatu & pompâ Neapolim ad ipsum invifendum perrexerant, ne alloqui, aut de vultu quidem excipere voluit, quippe qui ob Christi amorem mundo, & pompis ejus jamductum valedixisset, non alio nomine, aut titulo se epistolis obfignabat, quàm Cajetani Presbyteri miseri peccatoris; abjectissima quæque ministeria, vel in seculo degens capefcivit, & quàmvis primus Ordinis parens foret, ejus tamen regimen assumere non est passus, sed memorato tunc in minoribus constituto Joanni Petro Carafæ illud cessit. Defectus corporis ad confufionem pandebat, animi vero dotes, atque à Deo accepta dona pro viribus occultabat. Quod si quando charitate extimulante quicquam rarum, vel insolitum suis à Deo precibus impetraret, Sanctorum potiùs intercessionibus, vel lippianis, aut orationis virtuti tribuebat.

§. 16. Denique obedientia, paupertate, moderatione animi in adversis, providentia, cæterisque virtutibus ita eluxit, ut constans fuerit multorum opinio, illum sublimioris Sanctitatis gradum attingisse, & consuetas metas prætervolasse.

§. 17. Quibus virtutibus cumulus, ac laboribus, vigiliis, ærumnis, jugique sui corporis excruciatione fractus, multoque magis morbo & animi morore correptus, quod actâ per eos dies in seditionem plebe graviter Deum offendi cerneret, quodque Tridentinum Concilium, in quo maximè fidebat, interruptum videret, spe sua frustratus, & ad extremum usque, integris tamen sensibus, & vigore animi perductus, Ecclesiæ Sacramentis summâ pietate, ac spiritali gaudio relictus, & veniam à Confratribus suis, quos nunquam offenderat, deprecatus, in Crucifixi Redemptoris complexu piissimè obiit Neapoli die septimâ Augusti 1647. Quæ die populares illi tumultus ipsius intercessione, ut creditur, sedati sunt.

§. 18. Ad Corporis in Ecclesia omnium votis, &

solatio expositi venerationem ingens populi multitudo confluit, quæ jamdiu conceptam sanctitatis opinionem multiplici testabatur veneratione, manum, pedumque deosculacione ac lacrymis, quas optimi apud Deum Intercessoris jactura ultro erumpentes trahebat. Fama itaque Sanctitatis, quæ in vita invaserat, gloriosius, & longè, latèque post obitum diffusa mirum in modum percubuit, non traditione solum, memoriâ ejus singularium virtutum, sed excellentiâ miraculorum, signorum & gratiarum, quibus in vita, & post mortem mirificavit Dominus Sanctum suum. Cujusdam enim ex Religiosis Beati Instituti additis crux alterum ex gravi lapsu sic fuerat effractum, ut Medicus qui adhibita varia remedium genera nihil proficere noverat, extremum illius secandi consilium iniisset, sed cum Beatus Vir ut in posterum diem scitio differretur rogasset, noctu decumbentem adit, ac fasciis detractis in genua procidens, ægrum, ut unâ secum orationi operam daret, admonuit, eâque breviter absolutâ signo Crucis vultus signavit, & osculatus est, & illo rursus obligato discessit. Reversus manè Medicus interrogatum ægrum doloris omnis expertem audivit, & luxatum crus, solutis fasciis perinde integrum reperit solidumque, ac si nunquam afflictum, fractumque fuisset, vix tanti vulneris remanente vestigio.

Comes Georgius Trivultius viginti dierum febri eò fuerat adductus, ut nec cibum, nec aliud quidpiam, quod reficiendæ naturæ ingereretur, retinere minisque deglutire valeretur, pulsque amisso à Medicis morti proximus fuerat proclamatus, sed ab uxore Beato Cajetano commendatus parum jussu susceperat, retinuitque, & post brevissimam quietem à febre & morbo convalescit incolumis.

Helena Gritta Nobilis Veneta per duos ferè menses febri continua, magnisque angoribus oppressa, jacebat immobilis, deficiente loquelâ, ac prorsus desperatâ à Medicis salute, sed intimo cordis affectu ope Cajetani imploratâ membrorum vigori, & sanitati statim restituitur.

Petrus Francus, qui articuli sinistri brachii dolore molestissimo decem annos laboraverat, quadam die vehementius solito excruciatu ad Ecclesiam Clericorum Regularium confugit, ibique ante Beati imaginem enixas preces effudit, nec mora, sedatur decumanus dolor, & brachium pristina sanitate donatur.

Franciscus Virga Mediolanensis lethali febre decumbens, mortique proximus, admonitus fuit, ut Cajetani opem imploraret, quod ubi peregit, propulsari, propellique vi quadam à tergo sensit, ut è lecto exiliret, paruit impulsui surrexitque, nullâ morâ incolumis, ac si nunquam decubisset.

Duodecim annos comitiali morbo laboraverat Vienna Musca Vicentina, eâ quidam vi, ut viginti quatuor horarum spatio vel ter miserabiliter caderet, & miserabilis binas ternasque horas singulis vicibus, sensibus destituta jaceret. Vovit Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ante Imaginem Beati se quotidie recitaturam, votum excepit illico salus, at die quadam post duos menses oblita votum persolvere, rediit illico morbus, sed iterum facessit, cum amplius memoriâ non exciderit: datam fidem liberare.

Catharina Buranella Veneta tres annos excruciatu fuerat pessimo quodam ulcere in superiori parte palati, carne ad nares usque perforatâ, adeo ut cum misera biberet, vinum per nares excurreret; invocatâ ex corde ope Cajetani, ejusque imagine naribus, & corrupto ori admotâ, somnum cepit, ac manè exspectatâ, omni se morbo liberam invenit.

Dignamerita Catotia Veneta, quæ tredecim annos aquâ intercute laboraverat, vehementi cruciatu correpta, & ceu sibi forent ossa comminuta, seu luxata, nullo modo moliri se valens, invocato quadam nocte Beato Thienæo, qui sibi radiis circumfusus apparuerat, repente surrexit, omni levata dolore, & integrè incolumitati restituta.

Juliam Crottam puellulam Mediolanensem invase-

rat,

rat. & miserandum in modum vexabat malignus spiritus, qui exorcismis iussus abscedere se in Ecclesia Sancti Antonii ante Imaginem Beati Cajetani abiturum respondit, quod cum fuisset perducta puella, malignus spiritus edito à parentibus voto exire adactus concussam illam, penèque exanimem, prout in sui discessu indicium futurum prænuñciaverat, ter Beatum nominans reliquit.

§. 19. Hinc Sanctitatis famâ juxta, ac populorum devotione in dies ubique percrebescentibus cum opportuni processus Apostolicâ auctoritate confecti, ac post eorundem relationem piæ memoriæ Urbano Papæ VIII. similiter Prædecessori Nostro à tribus causarum Palatii Apostolici Auditoribus factam in Congregatione tunc Sacris Ritibus præpositorum S. R. E. Cardinalium de ejusdem Urbani Prædecessoris mandato, citato etiam & audito Promotore Fidei, ad relationem bonæ mem. Antonii tunc Sanctæ Mariæ in Aguirio Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati per plures sessiones acerrimè discussi fuissent, & cognito primum super validitate dictorum processuum, deinde super virtutibus heroicis, & demum super miraculis in vitâ & post mortem dicti servi Dei ab Altissimo patris, iidem Cardinales unanimi consensu decreverunt, tutò posse, quodcumque Romano Pontifici placuisset, ad solemnem Canonizationem præfati servi Dei deveniri, ac pro parte clar. mem. Ferdinandi II. tunc Romanorum Regis in Imperatorem electi, & Ludovici XIII. tunc Francorum Regis Christianissimi nec non tunc in humanis agentis Ducis, & Reipublicæ Venetorum, aliorumque Christianorum Principum, ac etiam tunc existentis Præpositi Generalis, & Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum, fuisset eidem Urbano Prædecessori humiliter supplicatum, ut interim donec ad solemnem illius Canonizationem deveniretur, idem servus Dei Cajetanus Thienæus Beatus nuncupari, atque Officium, & Missa de eo ut infra celebrari valeret: Idem Urbanus Prædecessor piis præfatorum votis hujusmodi & supplicationibus annuus de eorundem Cardinalium Consilio, ut ipse Dei Servus in posterum Beatus nuncupari, atque ab omnibus Clericis Regularibus ubique existentibus Officium de Communi Confessoris non Pontificis in die ejus obitus recitari, & Missa celebrari, juxta Breviarium, & Missalis Romani Rubricas, etiam per Sacerdotes Regulares, & Seculares ad eorum Ecclesias confluentes, in Civitate verò Vicentiâ ubi natus fuerat, & Neapolitanâ, ubi Sacrum ejus corpus requiescit, in omnibus Ecclesiis, tam Secularium, quam Regularium Missa, & Officium, ut supra celebrari, & recitari valeret, ac pro tunc decurrente anno dicti Præpositi Generalis, & Clerici solemnem Beatificationem cum Officio, & Missa in die eis benevisâ hic Romæ in Ecclesiâ B. Andrea de Valle, nec non alii ad illam confluentes celebrare liberè, & licitè possent, per suas in formâ Brevis desuper die 7. Octobris 1629. expeditas Litteras, licentiam, & facultatem concessit.

§. 20. Verum editis deinde novis Decretis ejusdem Urbani Prædecessoris, filius Causa, donec super ejus resurrectione à fel. rec. Innocentio Papa X. etiam Prædecessore Nostro signata fuisset commissio, confectisque novis Processibus super iis, quæ post indultam venerationem supervenerant, præviâ memoratæ Congregationis declaratione emissâ die 29. Novembris 1658. quod de percrebescenti famæ venerationis, & cultus erga præfatum Beatum virum concludenter constabat; In Congregatione coram eodem Clemente X. Prædecessore die 11. Novembris 1670. habitâ, referente B. M. Federico, nunc Tituli S. Petri ad vincula Presbytero, Cardinali Sfortia nuncupato, idem Clemens Prædecessor de Venerabilium Fratrum Nostrum, tunc suorum S. R. E. Cardinalium, iisdem Sacris Ritibus præpositorum consilio de præfatorum processuum relevantiâ constare pronuntiavit, & ex novem

tunc propositis, & discussis miraculis, tria tanquam concludentissimè probata, & supra naturæ creatæ vires patrata approbavit.

Primum siquidem: Processus Licienfis sanationis Franciscæ de Core à Cancro exorto in volâ manus sinistrae mox exulcerato, gangrænâ invaso, & in sphacelum converso cum brachii, & partium cordi adjacentium infestatione, nil prorsus juvantibus humanis remediis, frustulorumque putridæ carnis, inde factâ erosione ponderis unciarum quinque, absque ullo infirmæ dolore, ita ut Chirurgus sequenti manè vellet ei manum abscindere, & brachium ustione curare, sed præcedenti nocte, unctâ manu oleo Lampadis Beati Cajetani, cui sese toto corde commendaverat, postmodum se sanam, & incolumem, manumque jam emortuam, & fetentem, vivificatam, absque ullo cicatricis signo comperiit, non absque omnium admiratione.

Secundum; quod est quartum ex eodem Processu, Josephi Aiello, qui cum quatuordecim annorum spatium laborasset Cancro exulcerato, Lupa nuncupato, & sinistra coxendicis parte posteriori, qui tribus digitis distans à genu incipiebat, & ad inguinem extendebatur, quatuor digitis in latitudinem progressus, & tribus in profunditatem, carnem ipsam erodens & depascens, putridus insuper, ac fetens, invocata ope Beati, unctâque coxendice oleo Lampadis ante ipsius aram ardentis, sanus, & incolumis visus fuit absque ullo cicatricis vestigio, pelle siquidem extensâ, & æquatâ, naturali insuper colore præditâ, ac si tali morbo nunquam invasus fuisset.

Tertium denique, quod est primum Processus Romani, Nicolai Filii Ducis Gasparis Caffarelli, qui febri malignâ correptus, convulsione cum intensione, & extensione manuum, pedum, & trunci totius corporis instar sirenis thoracis musculis convulsis, absque loquelâ, aliisque infirmitatibus, & symptomatibus lethaliibus oppressus, viribus consumptis, & à Medicis proclamatus, veluti eademmet nocte, vigesima nonâ suæ infirmitatis moriturus. Emisso tandem voto dicto Beato, qui illi radiis, & splendoribus circumfusus apparuit, statim, & in continenti sanus, incolumis, & robustus compertus est; cum omnimodâ virium recuperatione, æquè, ac si hujusmodi morbis nunquam laborasset, Medicis, cæterisque illud admirantibus, & Deum mirabilem in servo suo collaudantibus. Quapropter eadem Congregatio accitis iterum Consultoribus censuit unanimi voto, sic annuente eodem Clemente Prædecessore, posse quodcumque ad solemnem dicti Beati Canonizationem juxta ritum dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac Sacrorum Canonum Decreta tutò deveniri, eumque cum Deo regnantem definiri, Universali Ecclesiæ colendum, & venerandum proponi.

§. 21. Accedentibus itaque Charissimorum in Christo Filiorum Nostrorum, tunc Suorum, Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorem electi, Caroli Hispaniarum Regis Catholici, & Marianæ Reginæ Viduæ ejus matris, nec non tunc in humanis agentis Ducis, & Reipublicæ Venetorum, ac B. M. Ferdinandi Mariæ, dum vixit utriusque Bavarie Ducis, Sacri Romani Imperii Principis Electoris, & Adelaidis ejus conjugis, aliorumque Principum Christianorum, nec non tunc existentis Præpositi Generalis Clericorum Regularium nomine totius Ordinis, ac demum Civitatis Neapolitanæ precibus, postquam præfatus B. M. Antonius tunc Episcopus Prænестinus Cardinalis Barberinus nuncupatus, vice sim. mem. Martii Episcopi Portuensis Cardinalis Ginetti nuncupati, memoratæ Congregationis Præfati, morbo tunc detenti, summam Processus, suamque, & aliorum suorum Collegarum d. S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum sententiam, cui cæteri in eodem Consistorio præfentes Cardinales unanimi adhæserunt suffragio, retulerat, & in sequenti publico Consistorio, quo præter Cardinales præfatos, etiam supradicti Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi in Urbe commorantes, ac Dilecti Filii

Quæ à Clemente quoque X. ad initium præfati confirma.

Urbani VIII. circa ejus Canonizationem dispositiones.

Miraculorum quædam sub Clemente X. à Cardinalium Congregatione discussa & approbata, & Canonizatione decreta.

Romanæ Curie Prælati, ipsiusque Clementis Prædecessoris familiares convenerant, Dilectus etiam Filius Magister Marcellus Severolus Nostre, tunc Suae Consistorialis Aulæ Advocatus de Beati Viri vitâ, virtutibus, & miraculis dixerat, ac præfatorum Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorem electi, Caroli Hispaniarum Regis Catholici, tunc in humanis agentis, Ducis, & Reipublicæ Venetorum, & Ordinis Clericorum Regularium supplices preces instauraverat, idem Clemens Prædecessor ejusmodi preces perlibenter excepit, quibus supremi Sanctitatis honores Beato Viro expetebantur, & sicut gavisus summo per se fuit excitatum eidem triumphum animadvertere in obsequiis Principum, & in veneratione Populorum, ita jure merito fore confidit, ut imitari non pigeret, quem celebrare delectabat.

Prævia
Divine
voluntatis
exploratio

§. 22. Quia tamen in maximi momenti negotio illius erat exploranda voluntas, qui Sanctorum Principatum teneret, omnes idcirco, & singulos hortatus fuit ex animo, ut precationibus, jejuniis, elemosynis cæterisque eximie pietatis operibus difficillimam illam ad investigationem auxilium eidem de Sancto comparare contenderent, sine quo impervia sunt mortalium oculis consilia Divinitatis, quin etiam sententiam præfatorum Venerabilium Fratrum Nostrorum, tunc Suorum, S. R. E. Cardinalium, nec non Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum omnium tunc in Urbe commorantium, ad rem in terris cœlestem consultissimè decernendam exquisivit, qui in sequenti Consistorio semipublico ad hunc effectum indicto, præsentibus etiam Nostis, tunc Suis, & Sedis Apostolicæ Notariis, & Causarum Palatii Apostolici Auditoribus ex iis, quæ ab eo proposita, & ex processu relata fuerunt, ad solemnem Canonizationem Beati Cajetani posse procedi, publicis suffragiis censuerunt.

Canoniza-
tio tandem
solemniter
die ad id
designata
facta est.

§. 23. Quorum unanimi sensu audito, cum nihil aliud desideraretur eorum, quæ ex Sanctorum Patrum auctoritate, Sacrorum Canonum Institutis, præfata S. R. E. consuetudine, ac novorum Decretorum præscripto agenda, & observanda erant, idem Clemens Prædecessor aperiens os suum in Benedictione, & gratias agens Divinæ clementiæ, quod tantam suo servo gratiam contulisset, solemni illius Canonizationi peragenda Dominicam secundam post Pascha, nempe duodecimam diem tunc immediatè sequentis mensis Aprilis anni reparatæ Salutis millesimi sexcentissimi septuagesimi primi, ac primi Pontificatus Sui, designavit. Quâ adveniente in Sacrosanctâ B. Petri Apostolorum Principis Basilicâ, quo solemni ritu, cum Venerabilibus Fratribus Nostis, tunc Suis, ejusdem S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, & Dilectis Filiis dictæ Romanæ Curie Prælati Officialibus, & familiaribus suis, Clero Seculari, & Regulari, ac maximâ Populi frequentia manè convenerat, iteratis primò, secundò, & tertio pro Canonizationis Decreto instantiis per Venerabilem Fratrem Nosticum Palatium Episcopum Sabinen. tunc Basilicæ XII. Apostolorum Presbyterum Cardinalem de Alteriis nuncupatum, nomine præfatorum Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorem electi, Caroli Hispaniarum Regis Catholici, & tunc existentis Ducis, & Reipublicæ Venetorum post Sacros Hymnos, litanias, aliasque preces, ac post Spiritus Sancti gratiam ritè imploratam; Ad honorem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Christianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli ac suâ maturâ deliberatione præhabita, & Divinâ ope sæpius implorata, ac de præfatorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum tunc in Urbe existentium consilio, Beatum Cajetanum unâ cum Beatissimis Francisco Borgia, Philippo Benitio, Ludovico Bertrando, & Rosa de Sanctâ Mariâ Sanctum esse decrevit, & defini- vit, ac Sanctorum Catalogo adscripsit, statuens ab Ecclesiâ Universali quolibet anno die septimâ

Augusti memoriam ejusdem inter Sanctos Confessores non Pontifices recolere debere, In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.

§. 24. His peractis Deum Patrem Aeternum, Regemque gloriæ Christum Dominum Patris Semperiternum Filium, ac Sanctum Paracletum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus, & confessionibus veneratus, sacroque Hymno Te Deum solemmniter decantato, peculiari Oratione etiam per Beati Cajetani merita precatus fuit, atque Missam ad altare Beati Petri Apostolicum ejusdem Beati Cajetani commemoratione celebravit, omnibusque Christi fidelibus inibi præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem concessit. Visitantibus autem quotannis in die festo ejusdem Sancti Cajetani Sepulchrum in quo ejus corpus requiescit, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut aliis quomodolibet debitis penitentibus, misericorditer in Domino relaxavit in formâ Ecclesiæ consuetâ.

Post Cano-
nizationē
per actam
Indulgentia
fidelibus
elargita.

§. 25. Ne autem de Decreto, definitione, adscriptio, Statuto, concessione, relaxatione, aliisque præmissis ex eo quod super illis ipsius Clementis Prædecessoris Litteræ confectæ non fuerint, valeat quomodolibet hæsitari; Volumus, & Apostolicâ auctoritate decernimus, quod Decretum, definitio, adscriptio, Statutum, concessio, relaxatio, aliæque præmissa à dictâ die duodecima Aprilis anni 1671. suum consequantur effectum, ac si super illis ipsius Clementis Prædecessoris Litteræ sub Datum ejusdem Diei confectæ fuissent, prout superius enarratur. Quòdque præfates Litteræ ad probandum plenè Decretum, definitionem, descriptionem, Statutum, concessionem, & relaxationem, aliæque præmissa ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Confirma-
tio Decre-
torum su-
per hac re
Clementis
X.

§. 26. Cæterum quia difficile foret præfates Nostas Litteras ad singula loca, ubi opus esset, deserti, volumus, ut earum exemplis etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Transsum-
ptorum
fides.


§. 27. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostarum voluntatis, & Decreti infringere, eique ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverint incursum.

Sanctio
pœnalis.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo primo, Idibus Julii Pontificatus Nostri Anno Primo.

D. 25. Julii
1691. P. A.
Primo.

† Ego INNOCENTIUS Catholica Ecclesiæ Episcopus &c.



Ego Alderanus Episcopus Ostiensis Cardinalis Cybo.

Ego Flavius Episcopus Portuen. Cardinalis Chiusus.

Ego Jacobus Episcopus Tusculan. Card. Franfonus.

Ego

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ego Palutius Episcopus Sabinensis Card. de Alteriis
S. R. E. Camerarius.
Ego F. Tit. S. Mariæ in Viâ Presbyter Card. Maldachinus.
Ego Carolus Tit. S. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Barbarinus.
Ego Nicolaus Tit. S. Calixti Presb. Card. Acciaiulus.
Ego Gaspar Tit. S. Mariæ Transtiberim Pres. Card. Carpinus.
Ego Cæsar Tit. Sanctissimæ Trinitatis in M. Pincio Presb. Card. d'Estrées.
Ego Franciscus Tit. S. Matthæi in Merulana Presb. Card. Nerlius.
Ego Hieronymus Tit. S. Silvestri in Capite Presb. Card. Cazanate.
Ego Galeus Tit. SS. Quirici & Julittæ Presb. Card. Marefcortus.
Ego Fabricius Tit. S. Chrysogoni Presb. Card. Spada.
Ego P. Thomas Houardus Tit. S. Mariæ super Minervâ Presb. Card. de Norfolcia.
Ego Jo. Baptista Tit. S. Cæcilie Presb. Card. Spinola.
Ego Savus Tit. S. Petri in Vincula Presb. Card. Millinus.
Ego Fr. Laurentius Basilicæ XII. Apostolorum S. Card. de Laura.
Ego Jacobus Tit. S. Mariæ de Araceli Presb. Card. de Angelis.
Ego Joannes Tit. S. Petri in Monte aureo Presbyter Cardinalis de Gessen.
Ego P. M. Tit. S. Marcelli Presb. Card. Petruccius.
Ego Joseph Saens Tit. S. Balbinæ Presb. Card. de Aguirre.
Ego Leander Tit. SS. Nerei & Achillei P. Card. Colloredus M. Penitentiarius.
Ego F. Tit. SS. Joannis & Pauli Presb. Card. Cafata.
Ego Bandinus Tit. S. Thomæ in Parione P. Card. Panciaticus.
Ego F. Tit. S. Clementis Presb. Card. de Abdua.
Ego Tullanus Tit. S. Agnetis extrâ mœnia P. Card. de Janfon de Fourbin.
Ego Jo. Bapt. Tit. S. Laurentii in pane, & perna P. Card. Rubinus.
Ego Jo. Baptista Tit. S. Bernardi Presb. Card. Costagurus.
Ego Fulvius SS. Cosmæ, & Damiani Diaconus Card. Astallius.
Ego Petrus S. Laurentii in Damaso Card. Diaconus Otobonus S. R. E. Vicecancellarius.
Ego Carolus S. Mariæ in Cosmedin. Diaconus Card. Bichius.
Ego Aloysius S. Mariæ in Porticu Diaconus Card. Homodeus.
Ego Jo. Franciscus S. Adriani Diaconus Card. Albanus.
Ego Franciscus S. Angeli in foro Piscium Dia. Card. Barbarinus.
Ego Laurentius S. Mariæ in Aquiro Diaconus Card. de Alteriis.

Loco + plumbi

B. Card. Prodatarius

J. Franciscus Card. Albanus

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Registrata in Secretaria Brevium.

V.

Statutum, ut Dieta intermedia Congregationis Cassinen. Ordinis S. Benedicti biennio post celebrationem Capituli Generalis ejusdem Congregationis haberi debeat.

§. 1. **A**liis postquam fel. rec. Innocentius Papa XI. Prædecessor Noster ad evitandas expensas, ac iterum incommoda, quibus Congregatio Cassinen. Ordinis S. Benedicti ejusque Monasteria, & personæ propter nimium frequentes Capitulorum Generalium, & Dietarum intermediarum celebrationes gravabantur, per quoddam suas in simili formâ Brevis die 9. Septembris 1690. expeditas Litteras, ut in posterum tam Capitulum Generale, quam Dieta intermedia præfatæ Congregationis nonnisi de triennio in triennium ab inde proximè futuro Capitulo Generali, quod tertiâ Dominicâ post Pascha Resurrectionis Dominicæ anni tunc proximè venturi 1691. celebrandum erat, incipiendo celebraretur, ita scilicet, ut Dieta hujusmodi octodecim mensibus post celebrationem cujuscunque Capituli Generalis, pro rebus, & negotiis, quibus interea consulendum fuisset, ante tamen Festum Circumcisionis Domini immediatè sequens, & non aliter haberi deberet, statuerat, & ordinaverat: Idem Innocentius Prædecessor nonnullas declarationes ad Regulam ejusdem S. Benedicti, ac Constitutiones dictæ Congregationis, in quibus id ipsum inter cætera decretum fuerat, Apostolicâ auctoritate confirmavit, & approbavit, & aliâ prout in ipsius Innocentii Prædecessoris Litteris itidem in forma Brevis die 22. Novembris 1680. desuper emanatis, quarum, & primordiarum ejusdem Innocentii Prædecessoris Litterarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, uberius continetur.

§. 2. Cùm autem, sicut Dilectus Filius Procurator Generalis præfatæ Congregationis Cassinen. Nobis nuper exponi fecit, Capitulum generale dictæ Congregationis novissimè, nempe mense Aprili 1690. Perulæ celebratum tempus hyemale pro Dietæ intermedie præfatæ celebratione Visitatoribus, qui eidem Dietæ interesse, nec non Abbatibus, ac Monachis, qui ab uno ad aliud Monasterium tunc temporis transigrare debent, valde incommodum advertit, adeoque dicto Procuratori Generali mandaverit, ut ab S. Sede decerni curaret, quòd imposterum Dieta supradicta duobus annis post celebrationem Capituli generalis, nempe tertiâ Dominicâ post Pascha Resurrectionis Dominicæ celebrari possit, Nobis propterea idem Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

§. 3. Nos igitur specialem ipsi Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut de cætero Dieta intermedia præfatæ Congregationis Cassinen. duobus annis post celebrationem cujuscunque Capituli generalis, nempe tertiâ Dominicâ post Pascha Resurrectionis Dominicæ à proximè venturo anno 1692. incipiendo, atque ita perpetuis futuris temporibus continuando, & non aliter, haberi debeat, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

§. 4. Decernentes easdem præsentibus Litteras, & in eis contenta quæcumque semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quâdocumque spectabit inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quo-

Narrat dispositiones Prædecessoris de Dietis sex-
quennalibus.

Considerantur incommoda hyemis, quâ Dieta celebratur.

Dispositio pro Dietis post biennium.

Decreta pro firmitate.

quam